



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

XI. Priuilegium sequens, priori non deroget conuentioni.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO CHRISTI 1179. vobis erit, ne sentire debeatis feueritatis ecclesiasticae violationem.

## CAP. XI.

*Idem VVigorniensis & Herefordensi episcopis.*

Ex multiplici conuestione VV. presbyteri de Tritona accepimus, quod cum \* in ecclesia de Tritona, triginta annis & eo amplius \* ministrasset, monachi de \* Beria decimas vniuersas quas de terris cultis a prima fundatione eadem ecclesia semper percipere consuevit, infra hoc quadriennium sibi & ecclesiae subtraxerunt: cum inter abbatem de \* Bueria VV. nomine de consensu totius conuentus, & praedictum presbyterum, quindecim annis & eo amplius elapsis, talis interuenisse dicatur conuentio, scripto authentico monachorum roborata, quod monachi praedicto presbytero & ecclesiae suae de blado & vniuersis leguminibus in integrum, quamdiu viueret, deberent persolvere, exceptis minutis decimis, quas idem presbyter, ob exaltationem ecclesiae monachorum, quietas clamauit. Cumque conuentio temporibus trium abbatum praescripti loci seruata fuisset, abbas illius loci ad praesentiam nostram accedens, a nobis scriptum priuilegium obtinuit, in quo monasterio suo indultum est, vt de laboribus quos propriis manibus & sumptibus excolit, nulli decimas soluere teneatur. Qui siquidem reuersus ad propria, tantam gratiam \* aduersus H. illustrem regem Angliae & fauorem inuenit, quod rex totam terram illius villae, in qua ecclesia praefati presbyteri sita est, monasterio ipsius in perpetuam eleemosynam contulit. Quo facto, praedictus abbas vniuersis illius villae colonis expulsis, totam terram praedictae parochiae excolens propriis sumptibus, ecclesiae debitos redditus subtrahit. Vnde quia non fuit intentionis nostrae per praedictum priuilegium nostrum praedictae conuentioni derogare: fraternitati vestrae, &c. quatenus vtraque parte ante vos conuocata, rei veritatem diligentius inquiratis, & si inter praedecessorem praedicti abbatis & praenominatum presbyterum consensu monachorum talis conuentio fuerit, & per annum seruata, eundem abbatem & monachos auctoritate nostra moneatis, & districte compellatis, vt eandem conuentionem & compactionem, non obstantem

*Concil. Tom. 27.*

Eccc

priuilegio, nisi (quod non credimus) de transactione illa in eodem priuilegio contineatur, occasione & appellatione cessante, inuiolabiliter teneant & obseruent, vel exinde pacifice secum conueniant, & secundum formam compositionis reditus ipsius integre persoluant.

## CAP. XII.

*Idem Thomæ Cantuariensi archiepiscopo.*

Commissum nobis a Domino dispensationis officium nos admonet multipliciter & hortatur, vt vniuersis Christi fidelibus debeamus vtiliter prouidere, atque iura sua integre nos oportet atque illibata seruare. Peruenit quidem ad nos, quod monachi de Boxle, ecclesie sancte Mariæ, in cuius parochia commorantur, decimas ex integro non persoluant, & eas reddere contradicunt. Eapropter fraternitati tuæ, &c. quatenus prædictos monachos \* vt ipsas decimas & de ipsis cultis, in quibus domus olim constructa fuerant, præfata ecclesie cum integritate persoluant: quoniam priusquam in eadem ecclesia morarentur, solebant persolui. Si non, appellatione cessante, auctoritate nostra cum omni distinctione, sicut olim de pascuis soluebantur decimæ, ita nunc de eisdem ad frugum fertilitatem translatis, decimas volumus absque diminutione persolui.

CAP. XIII. *Idem monachis de sancto Laurentio.*

Sicut vobis iura vestra integra & illibata vultis seruari, sic aliis iustitiam suam subtrahere nequaquam debetis. Audiuimus etiam, quod decimas ecclesie de \* Colingham, cum ea in qua debeant solui integritate, quando fundus ad vestrum dominium peruenit, non soluitis. Verum quoniam indecens & inhonestum vobis valde existit, vt aliis damna \* inferre præsumatis, quæ vobis nullatenus inferri velletis: vniuersitati vestræ, &c. quatenus prædictas decimas memoratæ ecclesie sine diminutione aliqua, & cum ea integritate, in qua antiquitus solui solebant, soluere non differatis: quia nobis plurimum graue existit, si super his ulterius ad nos querimonia deferretur. Verumtamen si aliquid iuris ibi vos habere confiditis, in præsentia fratris nostri VVigorniensis episcopi, & dilecti filii nostri decani